

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber XIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tis vero tricesimo quinto. Eo Imperante, Occidentale Imperium, quod desiderare sub Honorio cœperat, labi, vt dixi ab initio, cœpit. Vnus tamen Attila ad terrorem hominum natus modo fortiter acie victus, modo afflicto exercitu cum pace dimissus, perennem ipsi apud posteros conciliare beneuolentiam potuit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM. DE OCCIDENTALI IMPERIO,

LIBER XIII.

MAXIMVS SECVNDVS IMPERATOR.



VALENTINIANVM inde Imperatores illi per tempora exceperunt, quibus dominantibus fœda, ac miserabilis ipsa demum Occidentalis Imperij labes est subsequuta. Hi sunt enim, qui ipsas prorsus Occidentis prouincias amiserunt; hi sunt, qui Romam iterum, atque iterum, à barbaris captam, atque incensam viderunt; hi, qui Italiae Dominatione exuti nomen, gloriamque Romanam funditus euerterunt; hi denique, qui clarissimum Imperij Romani lumen, atque inueteratam populis nobilissimæ gentis auctoritatem penitus extinxerunt. Nam, barbaris iam late omnia ditione, libidineque tenentibus, non solum antiqua Imperij maiestas, sed vetus etiam litterarum, atque ingenij dignitas omnino euanuit. neque enim in tanto bellorum ardore, ac quotidiana seruitutis, necisque formidine pristinis doctrinæ, atque eloquentiæ studiis vacare hominibus licuit. Itaque fœcunda illa eruditorum, disertorumque virorum propago, quæ usque ad primam Gotthorum in Italiam impressionem cum maxima omnium admiratione floruerat, tetro ipso barbariæ transitu, tanquam infesto rapidi cuiusdam aquilonis impetu, prorsus exaruit. Quamobrem non erit mirandum, si nos etiam quæ sequuntur, veteribus eo magis rerum destituti scriptoribus parcius, ac tanquam earum, quas describemus, cladum atrocitate percussi, quodammodo languidius attingemus. VALENTINIANO Imperatore perempto, Maximus non solum dolori suo se iniuria vlciscenda satis fecisse, sed etiam occasionem ad Imperium occupandum sibi aperuisse putauit. neque enim Valentiniæ proles virilis vlla extabat, cui iure hereditario id fastigium deberetur, & ipse satis se paratum non solum ad inuadendum, sed etiam ad tuendum tantum dominatum arbitratur. Itaque eademmet hora, qua Valentianus occisus est, ex campo digressus, furore, ac scelere ardens, cum magna armatorum satellitum manu in Palatium iniit, atque Eudoxiam Augustam adeptus per vim, vxore paulo antè amissa, sibi matrimonio sociauit. quo factò, parati ad id, promissis muneribus, milites ipsum Imperatorem acclamantes leuarunt. Augustalibus inde insignibus exornatus totum se tradidit fluctuanti Imperio componendo. Hic, vt inquit Sidonius, præfectura prætoriana, Patricij dignitate, ac consulatu semel, atque iterum functus fuerat, ac moribus, pecunia, litteris, patrimoniis, & clientelis ita floruerat, vt nemo illo in vrbe conspectior, nemo in rep. beator putaretur. postquam autem Augustus appellatus, ac per eam causam Palatinis inclusus liminibus, fuit, ante lucem vehementer ingemuit, quòd voti compos factus sui fuisset. v sique adeo vt Imperij pondus perosus sæpe dixerit: Felicem te Damocles, qui regni necessitatem non vno longius prandio pertulisti. neque id iniuria. nam vno tempore & palam, & occulte nefarias imperio, & capiti suo comparatas insidias sensit. Etenim, nuncio in Galliam de Valentiniæ cæde perlato, barbari omnes male iam pridem erga remp. animati repente ad arma sunt conciti. siquidem & Saxones piratæ tractum Aremo-

Aremoricum infestum habere cœperunt, & Franci, atque Alemanni more patrio Rhenanas prouincias diuexarunt, & Gotthi subita defectione arma ceperunt. Quod Sidonius his verbis in Auito expressit:

*Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat. &*

Francus Germanum primum, Belgamq; secundum

Sternebat, Rhenumq; ferox Alemanni bibebat

Romanis ripis, & utroque superbus in agro

Vel ciuis, vel victor eras.

- 10 Francus autē Hildericus rex fuit, qui, teste in Annalibus Iornande, hoc anno Meroueo patri vita functo successit. ac patrij regni prolatandi libidine stimulatus per hanc occasionem Germaniam primam, & Belgicam secundam inuasit. quarum in vna continebantur Magonciacum, Argentoratum, Nemetes, & Vangiones; in altera vero Rhemi, Sueuiones, Catalauni, Veromandui, Attrebates, Camaracenses, Tornacenses, Siluanectæ, Bellouaci, Ambiani, Morini, & Bononienses. Hęc vero damna vbi Maximus trepido nuncio deferente accepit, subito Auitum Atuernum, de quo suprâ dictum est, magistrum vtriusq; militiæ legit. eumq; turbatis rebus Galliæ pro sua consulere prudentia iussit. quem honorem vt ab Auito susceptum certus in Gallia rumor increbuit, omnis statim Alemanorum, Saxonumq;
- 20 motus obtorpuerit. Quare Auitus ad Gotthorum sedandos motus conuersus, Messianum, qui animos eorum exploraret, præmisit, ac mox ipse non armatus, sed legatus, processit. & Tolosam vna cum rege Theodorico iniuit. Dum hæc autem aguntur, Maximus nouo alio, & magis tetro scelere est appetitus. quod non ipsi solum, sed vrbi etiam Romanæ præsens, ac memorabile exitium attulit. Is prima nocte cum Eudoxia cubans, illud in sermone imprudenter iniecerat, se nimio illius amore incensum viro eius Valentiniano insidias tetendisse. eaq; vox altius, quam opus fuisset, in pectus Eudoxiæ penetrarat. itaque mulier siue propriæ contumeliæ impotens, siue alienæ vltionem iniuriæ appetens, statim animum ad perniciem Maximi appulit. ac mox, aliis auxiliis desperatis, occulte nunciū ad Gensericum regem in Africā cum litteris, ac muneribus amplissimis amisit, magnopere obtestans. vt ad se, ciuitatemq; Romanam infesta Maximi tyrannide liberandam, ac simul ad Valentiniani mariti necem iniustissimam vindicandam accederet. id enim ipsum fœderi, amicitiaq; debere, quo nuper se cum eo per Honoricum filium oblidem astrinxisset. His litteris acceptis Gensericus erectus, optatam potius, quā speratam occasionē vltro oblatam arripuit, ac subito spe ingentis, atq; opimæ prædæ illectus classem ad expeditionem Romanam instruxit, ac trecentis millibus Vandalorum, Maurorumq; impositis, cursum Romam versus prope fatalem intendit, vt quod Alaricus summis votis expetitur, ac maximis viribus tentatum vix extorsit, id ipse vltro quasi à fortuna porrectum acciperet, id est, vt Romam à principio originis suæ ab hostili clade prope intactam secunda irruptione affligeret, ac Vandaliæ feritatis vestigia ad omnem posteritatis memoriam in ipso quoque Imperij domicilio impressa relinqueret. Itaque dum Maximus aulam, atque Imperium inter sæuos militum, popularium, fœderatorumq; tumultus nihil ex Africa aduersi metuens regit, ecce de improviso pridie Idus Iunias, nec opinantibus omnibus, Gensericus classem valido milite, atque omni bellico apparatu refertam ad littora Romana appellit, atque exercitum ad omnem vrbs oppugnationem instructissimum repente exponit, atq; explicatis ordinibus ducere ad mœnia eius instituit. Quare cognita, tantus euestigio ciuitatem pauor inuasit, vt eodem momento vrbs capta omnibus videretur. Itaq; populares iuxta, ac nobiles de sua salute solliciti vrbe se tumultuose
- 50 proripuerunt, atq; in montes, sylvasq; vt tutiores futuri latebris, profugerunt. Quare trepidatione animaduersa, Maximus & ipse formidine anxius, ac prope ab omnibus auxiliis destitutus, ex vrbe excessit, scq; ceteris non tam fœdæ, quā periculosa fugæ socium præbuit. Fugientem autem, ac solum vbi senatores quidam inimici eius viderunt, veteres subito offensionum acerbitates animo reuocarunt, atq; iracundia incitati per occasionē lapidibus inceserunt, ac mox tractum, laceratumq;

per Vrsū Romanum militem in Tiberim proiecerunt. Quæ postquā Genfericus accepit, post triduum urbem necessario præsidio vacuam, nemine resistente, iniuit. Cum in his angustiis res esset, Leo pontifex pristinae haudquaquam virtutis, ac pietatis oblitus, iterum ad patriæ, Ecclesiæq; salutem, quantū apud barbarum hostem siue gratia, siue auctoritate valeret, in extremo experiri periculo voluit. itaq; sacra procerum caterua stipatus Genferico ad urbem aduentanti sese obuium tulit, atq; ipsum in limine portæ adeptus, per omnia Christianæ religionis sacra, quibus ille magna ex parte esset addictus, orauit, vt ei ciuitati vellet parcere, cui nuper inimicissimus, ac sæuissimus omnium Attila pepercisset, cum ab ea adeundā ardentem animi sui impetum temperasset. Non flexere sanctissimi antistitis preces regem ¹⁰ Christianum, quæ paganum infregerant. nam urbem ingressus, non tam profanas domos, quam sacra templa, contra quam Eudoxiæ ipsi vocanti promiserat, libidini, auaritiæq; militari permisit. Ita Roma post annum quadragesimum tertium, quam à Gotthis capta, ac spoliata fuerat, iterum à Vandalis occupata, ac fœdissima populatione vastata est. neque enim priuatas, ac profanas solum opes abegerunt, sed sacram etiam supellectilem solido auro, atque argento, & lapidibus preciosis ad augustorum templorum ornamenta constantem, cui pepercerat Alaricus, eripuerunt. inter quæ aurea, atq; argentea magni ponderis vasa, quæ Titus Hierosolymis quondam attulerat, asportata. quin etiam omnia Augustalia ornamenta, & si qua erant antiquæ vrbs decora, ablata. ex quibus Iouis Capitolini tegularum ex ²⁰ ære auratarū pars dimidia, ac statuæ pleræq;, quæ egregij operis erant, auectæ. Iam vero hominum innumerabilis multitudo captiua facta. neque enim ciues solum passim in seruitutem abstracti sunt, sed ipsa etiam Augusta Eudoxia, huius memorabilis cladis auctor cum duabus filiabus Eudocia, Placidiaq; abducta. Ex iis, qui vrbe cesserunt, alij alio incolumitatis causa dilapsi sunt. ex quibus Olybrius vir nobilitate insignis, cui Placidia desponsa erat, Constantinopolim abiit, atq; inde post aliquot annos ad accipiendum Imperium rediit. Euagrius urbem non solum direptione, sed etiam incendio deformatam scribit. Itaq; Varronis comprobata tum demum sententia est, qui ex Vectij auctoritate prodidit, quando conditori vrbs Romulo duodecim vultures augurium effecissent, ipsam ad mille ducentos annos ³⁰ mansuram, neq; ita multo post ruituram, si quidem hic millesimus ducentessimus annus vrbs conditæ numeratur. His actis, Genfericus, modo militari populationi imposito, post quartum decimum denique diem vrbe excessit, ac Romanam prædam in naues impositam in Africam deportauit. quarum quæ statuas deuehebat, aduersa tempestate vexata interiit. reliquæ incolumes portus Africæ tenuerunt. Cum autem opes infinitas, ac populum ingentem in Africam deuexisset, prædam inter Vandalos, & Mauros, Victore teste, ita diuisit, vt maritos ab vxoribus, liberos à parentibus ad cumulandam miseræ captiuitatis acerbiterat magna inclementia separaret. Quod vbi Deogratias Carthaginis episcopus paulo antè precibus Valentiniani creati ab eo permissus audiuit, vehemēti dolore sollicitatus vasa sacra emenda ⁴⁰ ingenuos redimendos, parentibus liberos, viris vxores restituendas curauit. atq; eis basilicas duas Fausti, & Varij cum lectulis, & stramentis ad cubandum attribuit. ægrotisq; quæ necessaria erant, ministravit, medicis cibisq; ac medicamentis opportunis exhibitis. verum & hæc subsidia post biennij spacium episcopi mors immatura subduxit. Eudocia puella à Genferico nuptui Transamundo filio data. Hac tam insigni clade accepta, quæ vberes etiam Italiæ vniuersæ lacrymas elicuerat, Romani postquam hostem è finibus excessisse, ac, conscensis nauibus, peruenisse in Africā didicerunt, alacribus, vt in tantis calamitatibus, animis patriam receperunt, præter eos, quos hostilis libido captiuos abduxerat, quia pecuniæ ad se redimendos facultas defuerat. ac mox sæuis vrbs vulneribus mederi, quæ populatio, ac flamma ⁵⁰ intulerant, institerunt. in primis autem Leo pontifex, summa homo solertia, ac pietate ornatus omnia Titulorum vasa ad vsum rei diuinæ spectantia ex argento refecit. præterea hydrias binas argenteas basilicæ Constantinianæ, binas basilicæ S. Petri, binas basilicæ S. Pauli, quas Constantinus Magnus quondam obtulerat, renouauit. atq; eisdem cameras etiam aut addidit, aut ornauit, aut instaurauit. reliqui vero,

vero, vt quisque potuit, priuata ædificiorum, ac supellectilis damna refarcire conati sunt, lapidibus etiam, cum alia deessent, ex vetustis nobilium operum monumentis, quibus vrbs adhuc, vel inuita barbaria, honestabatur, assumptis. atque huic quidem studio & hoc, & sequentibus deinceps annis est inseruitum. Nondum Auitus Tolosæ positus impositam sibi à Maximo legationem confecerat, cum interempti Imperatoris, Romæque captæ fœda in Galliam fama perlata est. Tum vero Theodoricus rex, Gotthorum consilio aduocato, Auito potestatem dicendi fecit. qui ita differere cœpit: maluisse se patriis in agris stipendiis emeritis, & honoribus decursis gaudentem reliquum vitæ spacium in quiete, ocioque traducere.

10 verum postquam Maximus Augustus ignarum se, atque absentem ad militaria munia reuocasset, prompto id officium animo recepisse, vt legatus ad ipsum adiret, petitum, vt fœdus à patre suo ictum confirmaret. quod nimirum pater eius, si superstes esset, iam pridem concessit, vt qui quondam sua sequutus consilia à Narbonensi obsidione se remouisset. Cui rex ex patrum auctoritate respondit: absurde illum facere, qui illud rogaret, quod imperare pro suo iure posset; ac se paternæ comitatis inuidia oneraret, qui à se nihil vnquam postulandum putasset. Pacem, quam petis, inquit, vltro dabo, atque ad abolendam eam, quam Alaricus Roma capienda contraxit, inuidiam arma pro Romanis sumam. si modo ego te ad nomen Augusti recipiendum inducam. Quod tibi magnopere suadeo facien-

20 dum. Etenim

*regnum non præripis vlli,
Nec quisquam Latias Augustus possidet arces.
Que vacat aula tua est.*

Atque his dictis quæ spondit data dextra confirmauit. Profecto inde in Aruernos Auito ciues his cognitis gaudio alacres occurrerunt, atque ignoro tribunal constrauerunt, & conuocata nobilitate ipsum ad Augustalia sumenda insignia cohortati sunt. satis meritorum in eo dicentes hæere, in quo virtutis plurimum eluceret. rogare, vt difficillimo Galliæ tempore tribunal ascendat, quæ hac opinione imbuta sit, se illo principe libertatem, dignitatemque veterem posse recuperare.

30 Ita suborta omnium acclamatione dies ad deferenda insignia destinatur.

AVITVS IMPERATOR.

POST diem vero tertium proceres Galliæ citis euocati nunciis, cum in consilium conuenissent, Auitum militibus circumfusis

*Aggere composito statuunt, ac torque coronant
Castrensi mæstum, donantq; insignia regni.*

ac mox secundis clamoribus Augustum, atque Imperij vindicem semel, iterumque appellant. is dies v i Idus Iulias fuit. Auitus inde, vt erat summa rerum gerendarum solertia præditus, statim senatum Romanum de dignitatis suæ prouectione

40 commonefecit, seque ad iura ex æquo moderanda, & remp. viribus defendendam paratum esse ostendit. ac mox Messiana Patricio lecto Egidio magistro militum, & Patricio tutelam earum ciuitatum, quæ trans Ligerim à Romanis tenerentur, aduersus Francos tegendas commisit: Ecdicio vero filio Comiti militum, quæ cis Ligerim essent, aduersus Gotthos. Hispaniæ vero partem, quam Romani tenebant, cum vastari à Riciario rege Sueuorum incurfante audiret, Theodoricum regem orauit, vt pro fœdere secum inito sibi tuendam assumeret, atque incurfibus Sueuorum obuiam iret. quod bellum Theodoricus libenter suscepit. In Oriente Marcianus Augustus Valentinianum occisum, & Romam captam, ac direptam postquam senatus Romani litteris didicit, vehementer pro eo, ac debuit, verum pro infirma ingenij tarditate, quam etiã grauis ætas, ac naturalis senectutis languor intende-

50 rat, opportunum tantis malis subito, vt res ferebat, afferre auxilium haud potuit; neque quod à senatu Romano rogabatur, consilium de successore ipsi Valentiniano substituendo expedire in tempore valuit. Eodem anno v i Idus Iulias Pannonia suo adeo terræmotu concussa est, vt vrbs Sabaria tota prociderit. Ioanne inde, & Va-

456

ad ineundam iusti Imperij possessionem sibi transgrediendum putauit. Itaque Gothicis suffultus auxiliis, superatis alpibus Romam accessit, atq; ab omnibus benigne exceptus res tractare pro ipso Imperij iure, nemine contradicente, instituit. quibus perfectis, tanquam ab omni periculo seditionis securus Gotthos domū remisit, ac sese Romanorū præsidio tradidit. Quare animaduersa, senatus, siue luxuriosa eius vita, vt quidam tradidere, permotus, siue Marciani imperio obsequutus, paratis occulte auxiliis, repente in eum inuasit, ac nullo negotio vrbe deiecit. In hoc rerum articulo deprehensus Auitus, quod pares ad resistendum vires non haberet, Aemiliam sibi repetendam decreuit. Itaque languido, atque infirmo admodum comitatu iter ingressus, Placentiam adiit. Ea tempestate Ricimer Sueuus magister militum in locum Aëtij à Valentiniano, vt diximus, factus suis humeris totum prope sustinebat Imperium. cum autem Auitum Placentiam progressum audisset, tanquam officij causa ad eum accessit, ac iussu Marciani tumultu concito ipsum comprehendit, ita vt Messianum etiam Patricium eius strenue se pro principe suo gerentē prostrauerit. ac xvi Kal. Iunias Imperio se abdicare coëgit. Auitus autē, Imperio dimisso, ne priuatā vitam ex tanto fastigio, vnde repēte detractus admirabili fortunæ inconstantia erat, ingressus omnino contemptui haberetur, ecclesiam Placentinam, quæ vacabat, accepit, & pro Imperatore episcopum induit. mox autem cum sensisset, senatum adhuc iratum sibi, licet iam episcopo, insidiari, inde discessit, atque ad basilicam S. Iuliani martyris in Aruernos ire contendit. verum in via morbo intempestiuo oppressus, ne id quidem assequi morte præuentus potuit, vir propter egregiam animi indolem, virtutisque præstantiam, à Sidonio præcipue celebratam, hoc rerum, & vitæ exitu indignissimus. xv inde Kal. Octobris Remiscus ex eadem parte Patricius in Palatio Classis apud Rauennam occisus est. Theodoricus rex Riciarium regem Sueuorum ex Callectia, & Lusitania in provinciam Romanorum irrupentem Auiti rogatu monuerat, vt suis se continere finibus vellet, atq; superbū ab illo responsum tulerat. quo Theodoricus accensus, arma aduersus eum parauit, Gunderico, & Hilperico regibus Burgundionum in societatem ascitis. transgressusque Pireneos, atque ad illum profectus, signa cum eo contulit ad amnem Urbium, qui non longe ab Asturica fluit. ac Sueuos prælio superatos pene ad interuersionem deleuit. Riciarium vero è prælio fugientem, cum, nauicula concensa, salutem sibi quærere contendisset, aduersante austro reiectum in potestatem adduxit. eoque multari capite iusso, veniam Sueuis concessit, & pro Riciario Acliulfum clientem suum regem attribuit ex Varnorum stirpe longe à Gotthorum sanguine procreatum. Sueuisq; ea de re tumultum agentibus, Callectiam, & Lusitaniam hostiliter peruastauit. Genfericus rex, postquam semel capienda Roma fœdus cum Romanis ictum violauit, ei scelere nouum adiecit scelus. quippe partem Africæ, quam Valentiniano in diuisione permiserat, repente contra fœdus inuasit, ac, præfectis Romanorum expulsis, imperij, ditionisque suæ effecit. neque Romani posthac iuris aliquid in Africa habuerunt, donec eam per Iustinianum Augustum post felicissima victoria receperunt. Sequenti anno, Constantino, & Rufo consulibus, Marcianus Augustus, cum adhuc consilia de successore Valentiniano sufficiendo tractaret, repente vi Kal. Martias vita cessit, maiorem laudem ex Catholicæ fidei, quàm ex rei publicæ defensione adeptus. statimque in eius locum Leo Thrax Asparis Patricij suffragatione suffectus, atque ab Anatolio Constantinopolitano episcopo coronatus est. Ille vero noui principio Imperij cum alia multa, quæ emendatione egere videbantur, constituit, tum præcipue Imperatorem vacuo Occidenti dare decreuit, ne rursus ea sedes ab aliquo temere, atque inuito senatu, occuparetur. Itaque Maiorianum eximia virtutis, ac spectatæ prudentiæ virum nactus eum, de quo antè commemorauimus, pridie Kal. Martias militum magistrum effecit, ac Ricimerem Patriciatus dignitate ornauit. ac primo quoq; tempore Maiorianū in Italiam ad accipiendū Imperium cum literis, & comitatu honestissimo misit. Interim Burto à Maioriano equitū magistro præmissus paucorum militum opera Alemanos deuicit, qui in Rhætos inuecti Caninos campos infesta populatione vastabant. Marciani morte audita, qui acrem se Chalce-

Chalcedonensis concilij vindicē exhibuerat, Alexandrini nouā statim seditionem mouerunt, ac die Paschatis Timotheum Aelurum concilij eius inimicum episcopum declararunt, Proterio Catholico, qui Dioscoro suffectus fuerat, interfecto, ac per vr̄bis vias fœdissime tracto. Hac de re Leo pontifex ab Anatolio certior factus v Idus Iunij ad Leonem Augustum litteras misit, quibus Imperij celsitudinem gratulatus monuit, vt Concilij Chalcedonensis tutelam susciperet, quod ab ecclesia Alexandrina conuelleretur, & vt ei ecclesiæ Catholicum antistitem daret.

MAIORIANVS AVGVSTVS.

- 1^o **I**NTERIM Maiorianus secunda nauigatione vsus post dies triginta in Italiam adiit, ac Rauennam progressus Kal. Aprilis sexto ab vr̄be lapide in loco, qui ad Columellas dicebatur, Imperator exercitu approbantē leuatus, atque Augusti nomine insignitus est. inde vr̄bem ingressus Ricimere Patricio in consiliorū, rerumq; omnium societatem accepto rebus consulere necessariis cœpit. Versabantur in primis ante omnium oculos graues Genserici iniuriæ, qui in summa pace vr̄bem Romam cepisset, & captam, direptamq; cremasset. quas etiam augebant recentia eius maleficia. nam vt superiore anno Africam subegerat, sic hoc Italiam, & maxime Campaniam sibi deprædandam assumpserat. Ea de caussa Maiorianus, vt tantam audaciam coerceret, atq; Africam, si posset, recuperaret, classē supero mari construxit. cui rei Gallia quoque, quanquam assidua fœlta tributis, sumptum summo studio contulit, vt Sidonius scriptum reliquit. ac dum tacite bellum in alterum annum parauit, firmissimā militum manū ad tuendam Campaniæ oram immisit. itaque, cum Gensericus littori classē applicuisset, conatu irritō se referre cœgit. Nam cum Mauri expositi relictis in nauibus Vandalis repente securos agricolas inuassissent, Romani ex insidiis, in quibus se condiderant, erumpentes in eos impressionem fecerunt, atque palantes ad colles refugere compulerunt. quare conspecta Vandali arreptis armis, atque equis expositis ad liberandos Mauros accurrerunt, ac prælium acre cum Romanis fecerunt. quo demū pulsi ad mare, nauesq; se rettulerunt, atq; liberum eis campum cum spoliis reliquerunt. In Hispania pars Sueuorum rege à Theodorico dato non contenti Maldram sibi constituere regem. quibus Theodoricus bellum ita facere institit, vt multis templis, oppidisque vastatis demum Emeritæ vr̄bi opulentissimæ obsidionem admoueret. Maiorianus inde Augustus consulatum vna cum Leone Augusto Kalen. Ianuariis iniit, atque
- 2^o Idibus epistolam ad senatum in hæc verba scripsit: *Imperator factus sum P. C. vestris, militumq; suffragiis. adsit captis omnium propicius Deus, qui regni nostri augeat pro vestra, & publica utilitate successus. qui ad capiendum principatum non voluntate mea, sed obsequio publicæ deuotionis accessi, ne aut mihi soli viuerem, aut ingratus reip. cui natus sum, iudicaret, si recusauissem.* Kal. Ianuarijs suscepti feliciter consulatus fasces ereximus, vt presens annus nascentis Imperij nostri incrementa suscipiens, nostro etiam nomine signaretur. Fauete nunc principi, quem fecistis, & tractandarum rerum curam communicate nobiscum, vt Imperium
- 3^o quod mihi, vobis annitentibus, datū est, studiis communibus augeatur. & nostris temporibus iustitiam, ac virtutes valituras putate. nemo delationes metuat, quas & priuati in aliorum moribus improbauimus: nemo calumnias reformidet, nisi quas ipse comouerit. Nos cum patre, Patricioq; nostro Ricimere rei militaris curam geremus, & Romane reip. statum, quem communibus excubis & ab externo hoste & à domestica clade liberauimus, Deo bene iuuante, tuebimur. atque auctoritate principis, & obsequio collegæ, vt vestrum in me vobis non possit displicere iudiciū, enitemur. Post Romam à Gotthis vastatam praua consuetudo incesserat, vt ad publica ædificia reparanda saxa ex antiquis operibus sumerentur. eaque ratio sensim post Vandalicam cladem ad priuatas etiam constructiones erat translata. Quod cum magno cum vr̄bis veteris dehonestamento committeretur, in qua vetusta illa monumenta vulgo ab aduenis cum aliqua prisca non tam magnificentia, quàm industria reuerentia viscebantur, Maiorianus rem non ferendam ratus, vi Idus Iulias edictum ad Æmilianum præfectum prætorio tale misit: *Nobis rempubl. moderantibus, volumus emendari, quod iamdudum ad decolorandam vr̄bis venerabilis faciem detestabamur admitti. AEdes siquidem publicas, in quibus omnis ciuitatis consistit ornatus, passim dirui, plectenda urbani officij suggestionē mani-*

festum est. Dum necessaria publico operi saxa finguntur, antiquarum aedium dissipatur speciosa constructio, & ut paruum aliquid reparetur, magna diruuntur. Hinc iam occasio nascitur, ut etiam unus quisque priuatum aedificium construens per gratiam iudicum in vrbe positorum de publicis locis necessaria transferre non dubitet, cum hæc, quæ ad splendorem urbium pertinent, studio ciuium debeant etiam sub reparatione seruari. Idcirco generali lege sancimus, ut cuncta aedificia, quæ vel in templis alijsq; monumentis à veteribus condita propter vsum, vel amoenitatem publicam surrexerunt, ita à nemine destrui, atque contingi, ut iudex, qui hoc fieri statuerit, quinquaginta librarum auri illatione feriat. apparitores vero, atq; numerarij, qui iubenti obtemperauerint, & sua neuiquam suggestione restiterint, fustuario supplicio, subditos, manuum quoque amissione truncandos, per quas seruanda veterum monumenta temerantur. Post hæc Rauenna ad classem profectus, exercitum, quem ex omnibus barbarorum nationibus ingentem contraxerat, in naues imposuit, ac res omnes ad bellum Africæ faciendum necessarias comparauit. Ligurnum inde progressus, ut Vandalorum, & Genserici apparatus bellicum exploraret, & an Afri bono erga Romanos animo essent, exquireret, clam in Africam sibi contendendum putauit. Itaque quasi legatus ab Imperatore ad conciliandam concordiam mitteretur, alio vultu, ac nomine induto, nequo forte agnitus detrimento afficeretur, ad Gensericum peruenit. exceptusque ab eo occurrente, ut amicus, atque in interiorem domum perductus, in qua arma, ceteraque preciosa erant disposita, oculis omnia perlustrauit, ac demum animo suo satisfactum existimans, ad classem, exercitumq; reuertit, solertissimi ducis magis, quam prudentis Imperatoris officio functus. atque inde terrestri eum itinere ad columnas Herculis duxit. Quo vbi accessit, tanto studio, tantaque alacritate militum Mauritanix littus, freto transmissio, obtinuit, ut sperarent omnes, se armis, consilio, atq; auspiciis eius Africam esse recuperaturos. Ex Mauritania inde transgressus, in Africam classem Carthagini appulit, atq; vrbi oppugnationem admouit. Quo minus autem eam ceperit, morbus grauissimus, in quem incidit, moram iniecit. ex quo recreatus classe à Vandalis incumbentibus afflictata inani incepto discessit. Rauennam autem regressus v i i Kal. Nouembris ad præfectum prætorio Basilium scripsit de sanctimonialibus, & viduis, & successionibus earum. & v i i Idus Nouembris, ut intra triginta annos curiales ad ordinem suum, quem deseruerant, reuocarentur. Ceterum, progrediente in Hispaniam Imperatore, Theodoricus rex nescio qua causa offensus, relicta obsidione Emeritæ, in Galliam rediit, atq; infestum exercitum in Romanorum prouinciam ita induxit, ut neque profanis, neque sacris ædificiis abstineret, sed agros, vrbesque vastatione, atque incendio lacerarit. Iam res Italiæ in commodiorem erant statum redactæ, multiq; captiui ab Attila pridem facti redierant, & domos velut postliminio repetierant. Itaque Leo pontifex à Niceta episcopo Aquileiensi super vxoribus eorum, qui redibant, consultus x i i Kal. Aprilis ita respondit: *Cum per bellicam cladem, & per grauissimos hostium incursum ita quedam dicatis diuisa esse coniugia, ut, abductis in captiuitatem viris, femina eorum remanserint destituta, quæ viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam à dominatione crederent liberandos, & ad aliorum coniugium solitudine cogente transierint; cumq; nunc statu rerum, auxiliante domino, in meliora conuerso, nonnulli eorum, qui putabantur perijisse, redierint, merito caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ alijs iuncta sunt viris, à nobis debeat ordinari.* Inde statuit, ut prioribus nuptiis starent. postridie vero ad Leonem Imperatorem scripsit, se legatos ad eum mittere, qui fidem Nicænam, & Chalcedonensem docerent. Ille vero Concilium Chalcedonense ad singulos Catholicos episcopos misit. atque eorum de illo sententiam percontatus, ab omnibus conspirantia adeo inter se responsa accepit, ut vno tempore, & vnus viri ore edita viderentur. Ricimere inde Patricio

459 consulatū sine collega gerente, Theodoricus, bello in Gallia cum Romanis continuato, arma ad Rhodanū vsq; omnia subigendo produxit, ac Lugdunū, oppidum opulentū tanta demum mole inuasit, ut sub ius, potestatemq; redactum populatione, atq; incendio deformauit. Inde, cum Acliulfum regem Sueuis à se tributum defectionem fecisse comperisset, nouum aduersus Sueuos exercitū in Hispaniam misit, ac, prælio facto, ipsum comprehendit, ac statim pœna capitali mulctauit.

Qua cla-

Qua clade compulsi Sueui, missis ad Theodoricum oratoribus, pacē postularunt. quibus ille benigne acceptis non solum impunitatem dedit, sed etiam regem, vt ex gente sua pro arbitrio sibi crearent, concessit. illi Rosimundum ascuerūt. eō bello Callæciæ, & Beticæ damna grauissima importata. Leo pontifex pridie Nonas Martias episcopos Campaniæ, Samnij, & Piceni admonuit, vt à baptisate in diebus martyrum impariendo cauerent, sed id honoris tantum diei Paschatis, & Pentecostes haberent. Leo vero Augustus à Catholicis rogatus iudicium de Timotheo Æluro episcopo Alexandrino Chalcedonenfis Concilij inimico permisit. qui cum non tam male de fide sentire, quàm iniuste sedem Alexandrinam obtinere cum

10 iudicassent, in exilium proiecerunt. atque ei Timotheum alterum cognomine Solofaciolum, virum Catholicum, suffecerunt. Iam erat annus à Christi ortu quadringentesimus sexagesimus, quo consulatum gesserunt Magnus, & Apollonius. 460

Eo anno ineunte, Maiorianus Augustus Gallica clade permotus, alpera adhuc hieme, magno labore cum exercitu Alpes transcendit, credo, vt Galliam armis pacaret primum, deinde afflictam beneficiis recrearet. itaq; aeri inito bello, Gotthos ex omnibus, quæ occupauerant, oppidis expulit, ac pace data, prouinciã perlustrauit. Quo factō, Sidonius, qui tum pangendis carminibus excellebat, ipsum victoria ouantem nobili Panegyrico salutauit, in quo præsidium rebus Galliæ afflictis, atque in primis Lugdunensi poposcit, inquit:

20 *Et quia laxatis nimium spes vnica rebus
Venisti, nostris, petimus, succurre ruinis,
Lugdunumq; tuam, dum præteris aspice victor.
Ocia post nimios poscit te fracta labores.
Qui pacem das, redde animum. boue. fruge, colono,
Ciuius exhausta est. Stantes fortuna latebat.
Dum capitur, vix quanta fuit: post gaudia princeps
Delectat meminisse mali. popularibus, igni
Etsi concidimus, veniens tamen omnia tecum
Restituis. suimus vestri quia causa triumphi,
30 Ipsa ruina placet.*

Ceterum Maiorianus, cum in animo bellum Vandalicum parum prospere paulo antè tentatum haberet, Gotthos ex fœdere auxilio aduocauit. qua re præcepta, Genfericus sibi timens & ipse pacem à Maioriano petiuit. Eo anno Sueui in Hispania bello externo soluti, arma inter se contulerunt, atque vna pars, Maldra rege, Lusitaniam; altera, Rosimundo; Callæciam peruastauit. Quo in bello dum illi occupati fuerunt, Heruli Baticã hostili populatione dilacerarunt. Maiorianus autem cum esset Arelate, v Kal. Aprilis litteras ad Ricimerem dedit, vt videret, ne quis inuitus ad clericatum prouheretur. Index litterarum, vnde honores Ricimeris agnosci possunt, hic fuit: *Ricimeri viro illustri, Comiti, Magistro viriusque militia, & Patricio.* Neq; vero solum hunc annum Maiorianus in Gallia ordinanda traduxit. 461

sed etiam insequentem, quo Seuerinus, & Dagalaiplus consulatum administrarunt. in quo ludos Circenses, atque in ipsis ludis epulum magnificentissimum edidit. cui Seuerinus consul, & Magnus ex consule vna cum Sidonio affuerunt: *Venio,* inquit hic, *Arelate. ac, principe Maioriano post diem viso, in forum ex more descēdo. postridie insit Augustus, vt epulo suis Circensibus ludis interessemus. primus iacebat cornu sinistro consul ordinarius Seuerinus. iuxta eum Magnus olim ex præfecto, nuper ex consule, par honoribus persona geminatis.* Sic tum fortuna Rom. tulit Imperij, vt quo celerius caderet, bonus, ac strenuus nemo Imperator quinquennialia vota persolueret. verū cito si non morte naturali periret, at violenta, & per suorum coniurationē conflata occumberet. Quod tum Maioriano immerito vsuuenit. Etenim, dum rebus Galliæ disponendis intentus abest, Ricimer, & Seuerus, ambo Patricij, conspiratione inita, inter se pepigerunt, vt Ricimer Maioriano vitã adimeret, Seuerus Imperij fastigium vsurparet. neq; enim barbarus eos adhuc spiritus, eamq; impudentiã sumpserat, vt ornãmēta attrectare Augustalia sustineret, quæ ille prope sancta, & sibi indecora existimaret. Interim Maiorianus, ne ociosus in Gallia versaretur, Alanos inde pelleret,

vt qui infirmioribus opibus essent, quàm aut Burgundiones, aut Franci, contendit. cuius impetum cum illi sustinere non possent, Italiam se petere, eamq; vastare velle ostenderunt. atq; ita illum ex Gallia ad tuendam redire Italiam coegerunt. Ea res Ricimeri destinati facinoris perpetrandi occasionem aperuit. Cum enim Maiorianus Derthonam oppidum peruenisset, Ricimer siue vltro profectus siue ab illo accersitus, cum exercitu propius accessit, IIII Nonas Augusti ipsum nihil aduersi suspicantem per dispositos satellites cõprehendit, atq; Imperio abdicare coactum protinus VII Idus ad fluuium Hyram occidit. Quo ictu resp. ingens sane vulnus accepit. nam, si vita suppeditasset, nemo dubitauit, quin ille consilio, ac viribus suis Occidentales prouincias fuisset recepturus, ac vastam barbarorum audaciam 10 compressurus.

SEVERVS AVGVSTVS.

His actis, Ricimer inde Rauennam repetiit, ac XIII Kal. Decembris Scuerum Imperatorem, militaribus paratis antè studiis, iniussu Leonis Augusti declarauit. Genfericus, vbi Maiorianum morte extinctum accepit, simul foedus, quo cum Romanis tenebatur, euanuisse interpretatus, animũ ad insulas Africę obiectas adiecit, Siciliam, Sardiniam, Maioricam, & Minoricam. easq; anniuersariis fatigare latrociniis institit. cui Seuerus tanta virtute, atque armorum mole occurrit, vt imperium eius alioqui iustum, ac moderatum in primis constans ipsa littorum, infularumq; defensio illustrarit. Maioriano ex Gallia profecto, Childericus rex Francorũ propter intoleranda tributa, & nefarias libidines populis suis inuisus ab eis regno depellitur. ille auxiliũ inops in Thuringiã veterem patriã se recepit, ac Vindomalum fidum amicum, qui sc̄uientes erga se Francorum animos mitigaret, ac sibi reditum in tempore compararet, reliquit, signo dato, quo se moneri volebat, quando tuto domum repetere posset. is fuit aureus nummus in duas partes dissectus: quarum vnã ipse secum detulit; alteram, qua moneri volebat, apud amicum reliquit. Eo profecto, Franci regio Imperio assueti Egidium magistrum militum, qui pro Romanis Sueffione sedebat, magno animorum consensu sibi regem depoposcerunt. atq; vltro se illius arbitrio subiecerunt. In Hispania vero Sueui, Maldra rege amisso, magnis à Gotthis cladibus afflictati demum pacem à rege Theodorico postularunt. Eodem anno III Idus Aprilis Leo Pontifex naturæ concessit, propter vitæ sanctitatem numero Diuorum ascriptus, propter scientiæ magnitudinem Magni cognomine insignitus. Prosper Aquitanus, qui illi fuerat ab epistolis, paulo post ecclesiam Regiensem in Æmilia accepit. vbi propter sanctitatem item suam ab Ecclesia inter Confessores relatus summis honoribus in hunc vsque diem à vicinis nostris Regiensibus colitur. Hilarius diaconus, natione Sardus, patria Caralitanus, professione monachus, XII Kalen. Maij Leonis locum obtinuit. In Gallia XVI Kalen. Decembris episcopi quidam Turonibus conuenere, ac de moribus Gallicanæ ecclesiæ decreuere. extant cum decretis nomina episcoporum, Perpetuus Turonensis, Veturius Cænomanus, Leo Bituricensis, Eusebius Nanneticus, Armandinus Catalaunicus, Germanus Rothomagensis, 30 Anthemius Rhedonicus, & Mansuetus Britannorum. Proximo anno, Leone iterum, & Seuero consulibus, Genfericus insulas Imperij, eadem, qua cepit, libidine diuexauit. atque ei Ricimer Seueri iussu, quacunque potuit, ope occurrit. Theodoricus autem quietis, quæ rebus suis perniciosa esset, impatiens Rauennium Seueri Comitem ad defectionem sollicitauit. atque ab eo nobilem, & opulentam Narbonensium urbem accepit. Quo facto, magnum rursus in Gallia bellum est ortum. cuius tenuis ad nos vix fama manauit. Per eosdem dies, vt Iornandes in Annalibus prodidit, crebris in Gallia portentis est laboratum. villæ, homines, pecudes passim de cœlo tacti; &, quod horrorem maiorem incussit, duo iuuenes adusti cadaueribus concretis inuenti, Viennæ mœnia frequentibus terræmotibus conuassata, ignibusque accensis caducæ culminum cristæ superiecto fauillarum monte sepultæ. quin etiam lupi, ac cerui portas vrbs ingressi, atque impune per forum vagati terrorem ingentem in hominum mentibus excitauit. Quæ ma-

Quæ mala, quòd cœlestem ostentare iracundiam viderentur, expiare cupiens Ma-
 mertus vr̄bis episcopus, vir sanctissimus, vetere Niniuitarū exemplo ad Dei opem
 suppliciter implorandam confugit. cum autem sæuientibus adhuc prodigiis po-
 pulus ferme totus ex vr̄be formidine consternatus cessit, ac Resurrectionis diem,
 tanquam certum eorum malorum terminum, suspensis animis expectaret, factum
 est, vt in Vigiliis, dum res diuina perageretur, repente Palatium vr̄bis exarserit. quo
 pauore percussis, ac templo egressis qui aderant, omnibus, quòd plane sibi persua-
 derent, aut vr̄bem totam hoc incendio flagraturam, aut dehiscentē terram omnia
 vno haustu esse deuoraturam, rursus Mamertus ante altare prostratus cum gemitu,
 10 & lacrymis Dei misericordiam inuocauit. Itaq; quod incendium ingens vis aquæ
 certatim allatæ lenire non potuerat, repente ipse piarum lacrymarum vbertate re-
 stinxit. Ea de caussa, aduentante Ascensione, in qua supplicationes Deo pro impe-
 trandis imbribus, aut serenitate adhiberi, sed frigide, ac plane oscitanter, lapsa ve-
 tere disciplina, solebant, easdem populo indixit, sed nouam orandi, ieiunandi, &
 erogandi rationem, prisco ritu reuocato, inuexit. Qua religione diuinum numen
 placatum finem tandem cœlestibus prodigiis, ac territamentis imposuit. quòd Si-
 donius ad ipsum Mamertum scribens prodidit. Constantinopoli portentum aliud
 memorabile editum. Pictori cuidam Christum Iouis forma pingere auso repente
 manus exaruit. eumq; scelus suum cōfessum Gennadius episcopus, qui iam pridem
 20 Anatolio successerat, precatione ad Deum facta, sanauit. In Oriente etiam bellum
 nouum à Gotthis est cōcitatum. etenim Ostrogothorum reges in Pannonia con-
 fidentes, cum munera à Marciano sibi dari statuta, vt pacem tuerentur, non mitti
 à Leone viderent, legatis ea de re Constantinopolim missis, animaduenterunt,
 Theodoricum Triarij filium genere Gotthum, cum suis prosperitate florentem, &
 Romanorū amicitias insignem annuis muneribus onerari. qua re commoti, quasi
 ipsi dignitate inferiores iudicati fuissent, repēte arreptis armis, Illyricū inuasert,
 ac prædas inde multas impune egerunt. Leo vero eiusmodi bellum, vt rebus suis
 perniciosissimū, auersatus, legatione missa, & præterita & præsentia dona persoluit,
 & in posterum diligenter soluturum promisit. pacisq; renouatæ obsidem Theo-
 30 miri filium Theodoricum, iam octo annos natum, cum petisset, accepit. Viuianò 463
 inde, Basilioq; cōsulibus, Seuerus Augustus Romam ad ciuitatem ex superioribus
 cladibus Augustali præsentia recreandam processit. atque ibi x Kal. Martias Ba-
 siliū præfectum prætorio, eundemq; Patricium monuit, vt legem proxime à
 Maioriano latam de viduis, & sanctimonialibus emēdaret. ac Genferico insulas, &
 Theodorico Galliam infestam habentibus per constitutos duces acerrime restitit.
 In Oriente vero Leo Augustus Zenonem generū suum vniuerso Orienti præfecit.
 Is Petrum quendam Gnaphæum Chalcedonis presbyterum habuit in comitatu,
 qui Apollinaris errorem sequutus, eos, qui Deum patrem crucifixum negarent
 fuisse, damnauit, & seditione in populo Antiochiæ cōcitata hymno *Sanctus Sanctus*
 40 *Sanctus* adiecit, *Qui propter nos crucifixus est.* Quod auide ac hæreticis Theopaschitis
 arreptum magnas deinde in Ecclesia turbas exciuit. Interim, quieta ab armis bar-
 barorum Italia magnus repēte terror ab Gallicis Alanis obiectus est. Rex eorum,
 nomine Beorgor, siue à Theodorico rege Gotthorum, late regnum in Gallia ex-
 tendere cupiente adactus, siue cæca prædandi libidine stimulatus summa hieme,
 qua Rusticus, & Olybrius consulatum gesserunt, exercitum ex Gallia eduxit, ac, 464
 superatis alpibus, in campos subiectos degressus, Liguriam late populari, atq; effuse
 vastare more barbarico institit. Qua re cognita, Seuerus Ricimerē cum firmissimo
 delectu ei iussit occurrere. Nihil felicius illa expeditione per multos antè annos
 cōtiguit Romanis. nam Ricimer Alanum sæuientem ad Bergomum oppidū nactus
 50 v i i i Idus Februarias ad prælium sic adduxit, vt non solum exercitū profligarit, sed
 regem etiā congressum acie interemerit. Qua victoria elatus magnificos inde adeo
 spiritus sumpsit, vt Seuerum etiam ipsum cōtemnere cœperit. Hilarius pontifex in
 ipsam Ecclesiam decessorum suorum exemplo fulciendam, atq; ornandam inten-
 tus, quod Leo perficere aut temporis, aut rerum angustiis impeditus non potuit,
 ipse cumulatissime præstitit. Nam sacris basilicis preciosa ornamenta à Genferico,

vrbe capta, detracta ex ære, auro, atq; argento, quod ad vsum, & decus necessarium esset, in toto suo pontificatu restituit. atque Oratoria multa, pluresq; basilicarum Confessiones laminis argenteis strauit. inq; ea re prioris seculi magnificentiam superauit. adeo breui Roma, dato paulisper ad respirandum spacio, ex tenebris captiuitatis, ac depraedationis, pristinae fortunæ apparatu magna ex parte recepto, emer-
 465 sit. Insignis inde annus, Hermenerico, & Basilisco consulibus, fuit Constantino-
 politanae vrbis incendio, ac Seueri Imperatoris excessu. Euagrius ignem hoc modo conflatum scribit. Dæmon quidam mulieris pannosæ, ac stipem corrogentis speciem gerens, ea hora, qua lychni accendi solent, lucernam in forum detulit, quasi aliquod falsamentum empturus, ac, relicta ibi lucerna, discessit. Flamma inde lu- 10
 cernæ stupa erumpens, horribile fudit incendium, quo ædificia circumforanea subito correpta flagrarunt. inde, proximis comprehensis ædibus, passim ad vniuersam urbem ea calamitas serpsit. in quo desperata salus vsq; adeo laborauit, vt Aspar Patricius aquam ad id restinguendū humeris suis attulerit, & singulis opem ferentibus nummos aureos pro mercede promiserit. Quatriduo urbem flāma depasta est. in primis curia arsit, quo senatus conuenire solebat, & Nymphæum, in quo qui propriis ædibus carebant, sponsalia celebrabant. regia, templaq; vrbis celeberrima, ac nobilium ædes magnificentissimæ multæ item incensæ. Seuerus autē Imperator v 111 Kalen. Septembris est mortuus, seu veneno occulte Ricimeris scelere mini-
 strato, siue, quod Sidonius prodidit, morbo. Hilarius pontifex seditionibus, quæ 20
 propter assiduas hæreses mouebantur, offensus, x v 1 Kalen. Decembris conuentum episcoporum Gallie, atq; Italiae in basilica S. Mariæ habuit. inq; eo hæreses omnes, quibus fides conuellebatur, in primisq; ipsam adhuc furentem Eutychnam damnauit. ac Concilium Chalcedonense nouo Concilio confirmauit, ac multa præterea ad mores clericorum pertinentia sanxit. quæ qui cognoscere studeat, ex ipso, quod adhuc extat, Concilio hauriat.

INTERREGNUM.

SEVERI Imperatoris mortem magno dolore Italia tulit. nam licet iniussu principis creatum sciebat. tamen cum domestica Imperij laude capiebatur, quod 30
 ille domo Lucanus erat, tum temp. præsentis indigere Augusti præsidio sentiebat. quod Gensericus oram Italiae assiduis vexare latrociniiis non desistebat. neq; solus Ricimer aduersus fugitiuum hostem, & manum conserere detrectantem satis valebat. quod Sidonius his verbis expressit:

*Imperij fortuna rotas hinc Vandalus hostis
 Vrget, & in nostrum numerosa classe quotannis
 Militat excidium.*

*Præterea inuictus Ricimer, quem publica fata
 Respiciunt, proprio solus vix Marte repellit
 Piratam per rura vagum, qui prælia vitans
 Victorem fugitiuus agit.*

40

Et quidem Gensericus post Romam captam classem, vt significauimus, quotannis eduxit, ac modo in Italiã, modo in Siciliam urbibus maritimis partim diripiendis, partim etiam diruendis cursum intendit. Inde ad Orientis conuersus Imperium Illyricum omne, huicq; adiacentes insulas cum tota Græcia incursum. ad Italiam inde, Siciliamq; reuersus, siquid reliqui erat, abrasit, atq; ipsam post etiam Sardiniam, & Maioricam, ac Minoricam occupauit. adeo vero temere in obuios quosque rapi solitus fuit, vt, cum è Carthaginis portu, velis passis, solueret, rogatus à nauclero quorsum iter dirigeret, respondere solitus fuerit: Quo Deus impulerit. Hac igitur de causa senatus Seueri mortem, qui acriter ei restiterat, animo iniquo ac- 50
 cepit. ac propterea Leonem Imperatorē primo quoq; tempore de illius obitu docuit. ipsumq; vt Occidenti Imperatorem difficillimis eius in rebus daret, orauit. ni princeps Maioriani similis summæ rerum præesset, breui nomen Imperij Romani in Occidente ad nihilum recasurum. Res explicatu difficilis diu Leonis animum
 466 torfit. Itaq; proximum annum totum ipse tertium consul in hac deliberatione incerta

certa

certa consilia voluendo consumpsit. Interim Ricimer & latrocinii Vandalorum occurrit, & totam remp. pro suo arbitrio administrauit. Erat tum apud Leonem Anthemius Procopij filius, Anthemij, qui cum Stilichone consul fuerat, nepos, ac modo Marciani Augusti gener. Hic vtriusq; militiæ magister, & Patricius bellum cum Hunnis haud incommode gesserat. & opibus tum longe ceteris excelebat, & summo apud Leonem in honore erat. quamobrem dignum eum iudicauit, cui vel virtutis, vel generis gratia dignitatem Imperij Occidentalis deferret. ac postero anno, Pusæo, & Ioanne consulibus, ipsum ex Patricio Cæsarem designauit, ac protinus in Italiam ire ad Augustalia insignia capienda præcepit. 467

ANTHEMIUS AVGVSTVS.

ITA QVE pridie Idus Aprilis Anthemius ad urbem Romam progressus, tertio ab ea lapide ab occurrente exercitu excipitur. atque Imperator omnium consensione leuatus Augusti nomine decoratur. vnde in Panegyrico eius dixit Sidonius:

Facta priorum

Exuperas Auguste Leo. Nam regna superstat

Qui regnare iubet. melius res publica vestra

Nunc erit vna magis, quæ sic est facta duorum.

- 20 Quibus actis, ad stabiliendum Imperij statum, & proprias confirmandas opes ex Leonis auctoritate Ricimeris gratiam sibi vinculo affinitatis astrinxit. ac filiam ei in matrimonium collocauit. Nuptiæ Romæ per multos dies eximia ludorum pompa, ac summa populi lætitia celebratæ. eoque primum tempore post tot publicorum malorum tenebras pristinam splendoris, ac dignitatis lucem intueri Romana sibi ciuitas visa est. His nuptiis Sidonius Aruernorum legatus forte interfuit, vt ipse in epistola ad Herennium scribit: *Interueni, inquit, nuptiis Patricij Ricimeris. cui filia Perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur hoc ipso tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia thalassio Fescenninus explicabatur. atque etiam num è contrario studia silent, negotia quiescunt, iudicia*
- 30 *conticescunt, differuntur legationes, vacat ambitus, & inter scurrilitates histrionum totus actionum seriarum status peregrinatur.* & alibi: *Post nuptias Patricij Ricimeris, id est, post Imperij vtriusque opes euentilas tandem reditum est in publicam serietatem, quæ rebus actis ianua, campumque patefecit.* Marciano item Anthemij filio Leo Augustus Leontiam filiam connubio copulauit. Itaque tantis propterea septus opibus Imperator Anthemius fuit, quantis haud scio, an quisquam alius nuper ad Imperij tractationem accesserit, nimirum vltimus Occidentalium principum, in quo roboris, ac lacertorum aliquid fuit. Cum tanto igitur amoris, ac concordie vinculo res vtriusque Imperij tenerentur, Leo Imperator immanem Genserici in Oriente, atque Occidente deprædandi licentiam haud vltra ferendam ratus, bellum ei internecium indixit. atque ea de causa classem mille centum tredecim nauium
- 40 ex Græcia vniuersa contraxit, quibus totum consternere mare potuit, atque exercitum centum millium hominum comparauit, atque in milites, & remiges sumptus ingentes impendit. & summæ rerum Basilisco Verinæ vxoris suæ fratre præposito, Anthemio Imperatori mandauit, vt ex Italia necessaria omnia ministraret. Quo apparatu audito Gensericus exterritus ad Olybrium senatorem potentissimum sese contulit, & si partes tueri suas vellet, se illi Placidiam pridem desponsam redditurum, atq; Occidentis Imperium paraturum spondit. atq; inde annuentis eius potentia fretus grandiores spiritus gerere, & insolentius se iactare perrexit. Eodem anno Rauennæ terræmotu grauissime laboratum. Romæ Hilarius pontifex, & Theodoricus in Gallia rex mortui. illi Simplicius Tiburtinus, huic frater Euricus successit. Postero Anthemius Augustus secundum consulatum sine collega
- 50 iniuit. quem Sidonius à Paulo viro præfectorio rogatus, vt gratiam legationi suæ conciliaret, nobili, de quo sæpe diximus, Panegyrico celebrauit. Ceterum Leonis iussu duces Marcellinus, Heraclius, & Basiliscus bellum Genserico facere institerunt. Marcellinus in Dalmatia quondam Aëtium, cui iunctus amicitia erat, audiens 468

interemptum, ad Valentinianum accedere veritus, tantas opes in ea prouincia sibi quaesierat, ut nemo ei resistere posset. Itaque virtute eius allectus, atque potentia Leo territus hominem omnibus modis sibi conciliauit, atque in Sardiniam, ut eam Vandalorum imperio eximeret, misit. quod ille in eam profectus egregie praestitit. Heraclius autem à Basilisco in Africam cum parte classis praemissus apud Tripolim cum Vandalis acie congressus bene pugnavit, ac Tripolim ipsam recepit. inde, dimissis nauibus terra, cum exercitu Carthaginem versus ire contendit. Neque ita multo post Basiliscus totam classem ad paruum oppidum c c l x x x stadiis à Carthagine remotum applicuit, vbi Mercurij templum antiquitus fuit. ac tantum Genserico trepidationis incussit, ut si Carthaginem euestigio perrexisset, ipsam sine cunctatione in potestatem fuerit adducturus, Vandalosque seruitute pressurus. Gensericus, postquam Sardiniam, Tripolimque receptas audiuit, simulque ingentem Basilisci classem littoribus inductam Africanis cognouit, tum demum Leonis Imperatoris formidare opes instituit. mox Basilisci siue ignauia, siue tarditate, siue improbitate erectus omnes, quas potuit, naues armauit, atque alias militibus impleuit, alias in speciem vacuas produxit, ut prope consistentes munitiones, atque instrumenta necessaria ministrarent. ac simul legatos ad Basiliscum misit, rogatum, per dies quinque praelium prorogaret, ut interim consilium expediret, cedere ne Imperatori, an repugnare deberet. idque, praebita, ut fama fuit, pecunia, impetrauit. Vbi vero sextus dies destinatus illuxit, copiae pugna facta, in aciem prodiit, ac, conferto praelio, fortiter dimicare instituit. Tum vero in ipso certaminis ardore Basiliscus primus cum praetoria naui se dedit in fugam. quo facto, suorum animos, licet pugnandi auidos, ita debilitauit, ut statim exemplo eius pugnam intermittere, ac de fuga cogitare inceperint. Quibus rebus animaduersis Gensericus, eo ferocius in hostes inuectus, plerosque aut captiuos fecit, aut occidione occidit. praedam nauium, hominumque, atque instrumentorum ingens parta. Marcellinus etiam è Sardinia in Siciliam transgressus, ibi à Vandalis est oppressus. Ita res utrobique bene gestae mirum in modum Genserici animum paulo ante ex Romano nauium apparatu prope portentoso abiectum excitauerunt, atque ad maximum quodque audendum facinus accenderunt. Eodem anno magnum inter Gotthos prodigium est notatum. quippe Tolosae in media vrbe sanguis è terra repente ita prorupit, ut integro die cum incredibili omnium stupore manarit. Postero vero, Marciano Anthemij Augusti filio, & Zenone, qui post Imperium tenuit, consulatum gerentibus, Ostrogothi reges munerum Rom. haud satis habentes, suam in vicinas gentes libidinem conuertere, ac Saragas in media sitos Pannonia inuasere. quibus Dinzio Attilae filius cum expedita Hunnorum manu occurrit, atque ad Bassianam progressus, agros effusa populatione diripuit. Qua re cognita, Ostrogothi, Saragis ommissis, in illum se tanto impetu rettulerunt, ut, fuso exercitu, interfecerint, ac recisum caput Constantinopolim miserint. ab illo die Gotthorum arma Hunni exhorruerunt. Eo anno Romae insigne maiestatis iudicium de Aruando perfectum est. is, (ut inquit Sidonius,) praefecturam primam gesserat cum magna popularitate, secundam vero cum maxima populatione. onere inde alieni aeris oppressus, metu creditorum successuros sibi optimates aemulabatur, omnium colloquia deridebat, consilia explorabat, officia contemnebat. donec odio publico flagrans, & prius cinctus custodia, quam potestate discinctus, capi ab Imperatore, & Romam duci est iussus. quò vbi peruenit, apud Fl. Asellium hospitem, Comitum sacrarum largitionum in Capitolio custodiendus est datus. Interea legati prouinciae Galliae Tonantius Ferreolus Praefectorius Afranij Syagrii consulis è filia nepos, Thaumastus, & Petronius, homines summæ prudentiae, atque eloquentiae opinionem habentes, atque Aruernorum primores Aruandum publico nomine accusaturi sequuntur. hi inter cetera, quae sibi prouinciales agenda mandauerant, interceptam epistolam deferebant, quam Aruandi scriba exceptus dominum dictasse profitebatur. haec ad regem Gotthorum epistola mittebatur, pacem cum Leone Imperatore dissuadens, Britannos super Ligerim sitos oppugnari oportere demonstrans, cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere confirmans, & ad hunc ferme modum

modum plurima insana complectens, quæ iram regi feroci, miti pudorem accenderent. Hanc epistolam ad læsæ maiestatis crimen pertinere iurisperiti dixerunt. Hoc ei intendi periculum Aruandus ab Sidonio, Auxanioque admonitus respondit, se conscientia sua munitum vix aduocatos in repetundarum defendendo crimine admissurum. Interim reus aream Capitolinam albatus percurrebat, ac fictis salutationibus, atque occurrentium adulationibus studebat, ac serica, gemmas, & preciosa quæque inuolucra, quasi mercaturus, explicari iubebat. & inter agendum præcipue de legibus, temporibus, senatu, & principe querebatur. Post paucos dies senatus in tractatorium frequens conuenit. Eo reus, accusatoresque citati intromittuntur. ac suis quisque locis pro dignitate sedere iubentur. cum patres confurrexissent, legati post prouinciale mandatum epistolam protulerunt. quæ cum sensim recitaretur, Aruandus vltro se dictasse imminentis periculi ignarus asseruit. idque bis, terque post repetita confessione rogatus respondit. Itaque statim à iudicibus, atque ab accusatoribus acclamatur, reum eum læsæ maiestatis teneri. Quo consensu perspecto, Aruandus exanimatus expalluit, sero intelligens, posse reum maiestatis etiam pronuciari eum, qui non affectasset habitum purpuratorum. Subito igitur iure geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus gesserat, spoliatus, & plebeia familiae redditus publico carceri adiudicatus est. Inde iudicio comperendinato capite mulctatus in insulam est coniectus, vbi vsque ad inimicorum dolorem deformatus ex senatusconsulto Tiberiano triginta dierum vitâ post sententiam traxit, vncum, & gemonias, & laqueum carnificis in horas expectans. Hæc de iudicio Aruandi scripsit Sidonius, quod in hunc annum factum prodidit Cassiodorus. Narrat idem alio loco, duos hoc tempore in vrbe Romana viros post principem in toga præcipue floruisse, Gennadium Auienum, & Cæcinam Basilium, quorum Auienus ad consulatum felicitate, Basilium virtute peruenerat. Vtrumque, si forte domo exhibant, ingens clientum caterua stipabat. sed Auienus in filiis, generis, fratribus, atque nepotibus prouehendis occupabatur; Basilij benignitas tota in alienis promouendis, atque ornandis explicabatur. & si vtrumque coluisses, facilius ab Auieno familiaritatem, à Basilio facilius beneficium consequutus fuisses.

30 Eodem anno, qui octauus erat, postquam Egidius pro Childerico inter Francos regnabat, Vindomalus à Childerico quondam in Gallia ad reconciliandos sibi Francorum animos constitutus, nuncios ad Childericum cum nummi parte misit, atque, vt bono animo regnum repeteret, signo inter se composito docuit. quo accepto, ille gaudio gestiens in Galliam se recepit, ac benigne à Francis Egidium iam perosis acceptus regno illum eorum vsus auxilio deturbauit. atque inde prospere multos annos illud obtinuit. Quadringentesimo inde septuagesimo à Christo nato anno, Seuero, & Iordane consulibus, Romanus Patricius, cum affectatæ tyrannidis esset compertus, pariter cum Aruando capitali supplicio ab Anthemio est affectus.

40 Euricus autem, rex Gotthorum coniurationem Aruandi patefactam conspiciens, quod occulte assequi non potuit, palam sibi aggrediendum putauit, ac finium prolatandorum causa more patrio exercitum in agrum Romanorum induxit. Qua re percepta, Anthemius, licet Ecdicium Comitem Auiti quondam Imperatoris filium, egregie impetum eius sciret sustinere, tamen Riothimum regem Britannorum, qui etiam Brittones super Ligerim siti dicuntur, quos Aruandus Eurico adoriendos suaferat, auxilio accersuit. eumque cum XII millibus hominum mari venientem in oppidum Bituricum accepit. Euricus autem antè eum sibi inuadendum, quam cum Romanis copiis iungeretur, existimans, castra aduersus Bituricum promouit, atque in aciem tractum primo certamine superauit. Ex quo Riothimus maiore suorum parte desiderata cum paucis fugiens, ad Burgundiones Romanis fœderatos se contulit. Gregorius auctor est, Britannos Biturico à Gotthis expulsos esse, multis apud Dolensem vicum occisis. Inde data opera ab Anthemio est, vt Euricus finibus suis contentus pristinum fœdus, veteremque pacem seruaret. Hunnimundus rex Sueuorum, traiecto Danubio, magnum pecoris numerum ex Pannonia Ostrogothorum auertit, atque populabundus in Dalmatiam vsque processit. vnde se recipiens à rege Theodomiro ad lacum Pelsodis captus, & post pace data dimis-

sus est. Et hoc anno Gensericus classem aduersus Basiliscum in Sicilia stationem
 habentem eduxit. cui Basiliscus decoris amissi recuperandi audus alacri sese ani-
 mo obtulit, ac tanta mole, prælio commisso, pugnavit, vt Gensericum victum Car-
 47¹ thaginem se præcipiti fuga referre coegerit. Leone inde Augusto quartum, & Pro-
 biano consulibus, vtrumque Imperium vt intestinis, sic periculosis seditionibus la-
 borauit. In Oriente Aspar Patricius Leoni Augusto insidias moliens, filio suo Ar-
 daburio Cæsare declarato, non dubia affectatæ tyrannidis exhibuit argumenta. cu-
 ius rei certior Leo factus statim victorem è Sicilia reuocauit exercitum, atq; Aspa-
 rem cum filio vtroque adortus, omnes in potestatem adduxit, ac supplicio capitali
 pro rei atrocitate multauit. illud in primis veritus, ne si superstites sibi fuissent, de-
 specta Leonis nepotis sui, quem Cæsarem destinauerat, pueritia, Imperij sibi fasti-
 gium vindicarent. Hæc in Oriente. Occidentalis autem pestis auctor fuit Patri-
 cius Ricimer, qui, alter in Italia Aspar, Anthemium, posthabito affinitatis vinculo,
 primum despiciatui habere, post etiam iniuriis aliquot non erubuit onerare. Itaq;
 accensis inter eos simultatibus, quas etiam vtriusque familiares de industria irrita-
 runt, res ad prauam tendere certaminis contentionem videbatur. quæ si contracta
 esset, nemo erat, quin deteriore conditione Anthemium pugnaturum putaret, at-
 que ea res maximam Italiæ allatura perniciem esset. Hunnimundus rex accepti
 beneficij immemor, gentem Scyrorum, quæ super Danubium confidebat, ad ar-
 ma sollicitauit, atque, irruptione in Pannoniam facta, Valamirum regem Ostrogot-
 20 thorum occurrentem, commisso prælio, strauit. Quo detrimento accepto, Got-
 thi accensi bellum collectis viribus instaurarunt, ac Scyrorum gentem omnem præ-
 ter eos, qui ex acie fuga dilapsi sunt, conciderunt. Quorum exitum metuentes
 Hunnimundus, & Alaricus, Sueuorum reges, accitis Sarmatarum auxiliis, aduer-
 sus Gotthos mouerunt, ac collectis Scyrorum reliquiis, & Gepidarum, Rugorum-
 que fulti præfidiis castra ad Bolliam amnem Pannoniæ locauerunt. Contra quos
 Theodomirus, & Vindemirus reges profecti summo prælio conflixerunt, tantam-
 que stragem eorum ediderunt, vt campus sanguine manuerit, & arma, ac cada-
 uera aggesta collis altitudinem plus, quam decem millium, adæquarint. Ita Vala-
 miro occiso egregia est victoria parentatum. Eodem anno Aruerni Seronatu Got-
 30 this prouincias Romanorum prodentem accusarunt. quo facto, Sidonius Ecdi-
 cium Comitem, ciuem suum, summa auctoritate virum auxilio aduocauit. *Exul-
 tat enim, inquit, Seronatus Gotthis, insultat Romanis, illudit præfectis, colludit numerariis,
 leges Theodosianas calcat, Theodoricianas proponit, veteres culpas, noua tributa perquiris,
 te expectat palpitantium ciuium extrema libertas. quidquid sperandum, quidquid desperan-
 dum est, fieri de medio placet. si nulle à republ. vires, nulla præsidia, si nulle, quantum ru-
 mor est, Anthemij principis opes, statuit, te auctore, nobilitas seu patriam dimittere, seu
 capillos.* Damnatum autem fuisse idem significauit ad Græcum episcopum scri-
 bens: *Aruerni amore reipubl. Seronatum barbaris prouincias propinantem non timere
 legibus tradere, quem conuictum deinceps respubl. vix præsumpsit occidere.* Constantino-
 40 poli Gennadio episcopo ex humanis rebus exempto Acacius subrogatur. cuius in-
 constans in tuenda fide Catholica ratio post Ecclesiæ statum vehementissime per-
 47² turbauit. Festo inde, & Marciano consulibus, cum flagrantibus Anthemij, & Ri-
 cimeris inter se odiis suspensis omnes animis, quis tandem futurus esset suscepti
 certaminis exitus, expectarent, Ricimer Mediolani positus multorum pacem sua-
 dentium precibus fatigatus, denique se paratum esse ad reconciliandam cum fo-
 cero concordiam dixit, si quis esset, qui tantæ ad eum legationis onus susciperet.
 cui omnes vno ore responderunt: Non deerit, qui legationem hanc subeat. adest
 enim Epiphanius, Ticinensis episcopus (hic modo Crispino successerat.) vir ore
 venerando, moribus suauissimis, & eximia persuadendi facultate instructus. Tum
 Ricimer, iam pridem hunc virum, ab omnibus audio commendari. ite igitur, &
 rogare illum, vt hanc legationem suscipiat. Illi Ticinum profecti, Epiphanio Ri-
 cimeris voluntatem expromunt, quibus ille respondit: Quamuis tantæ rei ne-
 cessitas probatissimæ personæ pondus requirat, atque ego ad id muneris parum
 idoneus sim, studium tamen, quod debeo patriæ, non negabo. atque, his dictis,
 ad Ri-

ad Ricimerem perrexit, & mandatis acceptis, Romam iter intendit. Vbi vero Anthemius audiit, legatum ad se à Ricimere venire singularis eloquentiæ hominem; dixit: Qui alios laceffit iniuriis, disertos ad supplicandum homines mittit. introduce tamen antistitem, qui, si facilia postulabit, morem geram; si difficilia, cum excusatione dimittam. vereor tamen, ne Ricimer nihil à me impetret, quòd scio, illum nimis in petendo procacem esse. In conspectum inde progressus principis Epiphanius sic disseruit. Diuino consilio factum est, vt is remp. teneat, qui per Catholicam fidem Deum omnis pietatis auctorem agnoscit, per quem bellicus furor pacis armis infringitur, & quod à fortitudine non potest, à concordia superatur. Sic

10 Dauidem illustriorem reddidit certa clementiæ opinio, quàm prompta animi ad vindicandum propensio. & optimi reges supplicantibus indulgere diuino oraculo sunt edocti. nam diuinum imperium exprimit, qui dominatum suum pietate extollit. Hoc igitur iudicio Ricimer Patricius ad te orandum me misit, haud dubia spe fretus, Romanum pacem Dei munus daturum, quam postulet barbarus. erit enim egregius triumphus, si sine sanguine viceris. quanquam nescio quæ species fortitudinis illustrior possit esse, quàm iracundiam temperare, & fortissimi Getæ pudorem beneficiis onerare. vehementius enim afficietur, si postulata obtinuerit, quàm hætenus puduit, cum supplicauit. Tum Anthemius: Inexplicabilis profecto nobis erga Ricimerem causa doloris est. neque enim quidquam eximiis eum

20 beneficiis ornando profecimus. quem etiam, (quod non sine summo & regni, & sanguinis nostri pudore dicendum est,) in familiæ stemma asciuimus (quis enim superiorum hoc fecit Imperatorum, vt inter munera, quæ pellito Getæ tribueret, pro quiete communi filiam collocaret?) nesciuimus parcere sanguini nostro, dum seruimus alieno. Neque vero hoc formidini nostræ quisquam ascribat. neque enim nostram vicem solliciti fuimus, sed populorum, haudquaquam ignari, Imperatorem amittere laudem virtutis, nisi pro periculis expalleat alienis. atque vt tuæ Venerationi ad liquidum conatus eius aperiamus, quò maioribus est à nobis munibus exornatus, eò acriorem se nobis hostem exhibuit. nam quæ bella reip. comparauit? quantum in Italiam gentium externarum inuexit? postremo vbi nocere non

30 potuit, nocendi tamen fomenta suffecit. Huic igitur pacem dabimus? hunc intestinum hostem amici specie sustinebimus, quem fœdere concordie nulla affinitatis vincula tenuerunt? magna cautio est, aduersarij animum perspexisse. verumtamen, si tu his omnibus sponsorem te interponis, qui potes spiritali indagine consilia nefanda eruere, erutaq; comprimere, pacem, quam poscis, non nego. quòd si solita calliditate te ipsum quoq; sefellerit, me tamen, statumq; reip. fidei tuæ commendo, & gratiam, quam supplicanti Ricimeri negare statueram, per te vltro restituo. quis enim audeat tibi beneficium abnuere postulanti, cui oportuerat ante preces offerri? Tum episcopus, Gratias, inquit, omnipotenti Deo, qui principis menti pacem suam iniecit, quem præesse mortalibus voluit. Atque, his dictis, Ticinum cum pace propere rediit. (nam dies instabat Resurrectionis.) ac, lætantibus omnibus, legationem renunciauit. Haud diu tamen Ricimer in hac concordia mansit, credo, quòd se in hac causa viribus multo superiorem videret, & socerum se, si non fraude, at vi saltem capturum speraret. Itaque, cum seditio vehementiore flamma recruidisset, ipse cum magno, eoq; infesto exercitu Romam perrexit, atq; obsidendæ vrbs causa apud Anienis pontem castra fecit. Qua re perspecta, Romani in magnas rerum angustias rursus adducti, alij Anthemio, alij Ricimeri se adiunxerunt, ac ciuitatem intestino dissidio distraxerunt. Cum autem in longum obsidio traheretur, grauius fame laborare, & post famem premi pestilentia inceperunt. spes vna erat in auxiliis Gotthorum ex Gallia accersitis. quæ & ipsa repente

50 præcisa est. nam Bilimerem cum firma manu ad urbem profectum Ricimer aggressus, inito ad pontem Hadriani certamine, nò solum vicit, sed etiam interemit. quo successu erectior, atque audacior factus v Idus Iulias urbem, toto vrgente exercitu, magna mole inuasit, ac demum, repulsis defensoribus, in potestatem redegit, atque ingressus, eandem, quam Alaricus, & Gensericus antè attulerant, trepidationem, ac tumultum inuexit. nam & Anthemium captum morte affecit, nulla ne-

que foceri pietate, neque Imperatoris reuerentia ductus, & urbem, quæ famis, ac pestilentia acerbitate afflictæ erat, militibus misere populandam, diripiendamq; permisit. Itaque præter duas regiones, in quibus ipse cum suis confederat, omnia immani sunt prædatorum libidine lacerata. Inde Olybrius senator Constantino- poli paulo antè reuersus insignibus Augustalibus exornatus.

OLYBRIUS IMPERATOR.

HVIUS tamen direptionis, quæ Romanæ vrbi tertia contigit, diuturnum ille fructum non tulit. siquidem mox sæuissimis corporis doloribus cruciatus xv Kalend. Septembris excessit è vita, vir is, qui post Valentiniani obitum, tanquam alter Stilicho, prope in republ. imperauit; in illo etiam Stilichone felicior, quòd non plures Imperatores creauit, quàm sustulit. Eo sepulto, Olybrius Imperator referendæ gratiæ cupidus Gundibarium nepotem eius Patricium subdidit, ac mox Romæ x Kalen. Nouembris vix ipsam imperandi suauitatem expertus morbo decessit. Interim Leo Imperator rebus, quæ ad urbem acciderant, in primisque Anthemij nece audita commotus, de sufficiendo successore cogitauit. ac Iulium Nepotem Nepotiani filium, collocata ei in matrimonium nepte sua, per Domitianum clientem suum Cæsarem designauit, eiq; Occidentale Imperium destinauit. Eodem anno Vesuius mons in Campania intimis æstuans ignibus, viscera exulta euomuit. nocturnisq; in die tenebris incumbentibus, omnem Europam minuto cinere cooperuit. Itaque eius portenti memoriam annuam Constantinopolitani instituerunt viii Idus Nouembris. Ea re Leo Imperator exterritus vrbe excessit, atque ad S. Mamantem consedit. In Pannonia rex Ostrogothorum Theodemirus summa hiemæ conglaciatum Danubium nactus, exercitum flumen transmisit, atque improuisa in Sueuos impressione inuectus & ipsos, & socios eorum magna edita strage concidit. ac victor domum reuersus, Theodoricum filium obsidem à Leone remissum cum regalis opulentia muneribus lætus excepit. qui iam annum octauum decimum erat natus. Ille vero fortitudinem parentis imitatus, sociis militibus assumptis, Danubium, ipso inscio parente, transiit, ac Sarmatarum regem victoria ducis Romanorum furentem prostrauit. reuersusq; ad patrem Singidonem, quam Sarmatæ Romanis ademerant, cæpit, ac iuris sui effecit. Leone autem Augusto consule solo quinto, cum per quattuor, & amplius menses Occidens sine Imperatore fuisset, neque Iulius Nepos Cæsar ab ipso designatus in Italiam adueniret, Gundibarius Patricius aui Ricimeris exemplum, auctoritatemque sequutus, principem pro arbitrio sibi designandum suscepit, ac iiii Nonas Martias Rauennæ Glycerium Comitem domesticorum Imperatorem per milites leuandum curauit.

GLYCERIVS IMPERATOR.

ITA Olybrius, & Glycerius, vt inuito Leone, sic iniustis comitiis, sedem Occidentalis Imperij tenuerunt. quamobrem eorum rationem non habuere, qui successerunt. Gensericus post superiorem cladem acceptam Leonis arma formidans vt omnia, quæ potuit, ad securitatem præsidia conquisiuit, sic etiam omnia, quæ valuit aduersus eum arma commouit. In primis vero Ostrogotthos ad vtrumque Imperium inuadendum, magna spe præmiorum ostentata, sollicitauit. Quibus inductus Theodemirus iam recepto filio tutus in hunc modum ipsa suscipiendi belli consilia expediuit. Glycerium tenuissimis opibus Italia regnum adeptum audiens, Vindemiro fratri negotium dedit, vt arma Italia inferret, quam nullo negotio aut subacturus, aut populaturus, quippe exiguis tectam præsiidiis, esset. ipse vero Illyricum, vt ad expugnandum difficilius, sibi assumpsit. Vindemirus igitur cum ingenti Ostrogothorum manu populabundus in Italiam venit, verum repente morbo oppressus interiit, filio sibi cognomine Vindemiro relicto. Hac irruptione Glycerius, Imperio nondum firmato, perculsus, sese tanto offerre discrimini non est ausus. verum, missis obuiam legatis, hominẽ donis aggressus orauit, vt exercitum in Galliam abduceret, in qua ei locus inter populares suos defuturus non esset. Paruit voluntati eius

eius Vindemirus, ac, sublatis castris, in Galliam adiit, ac sese Visgotthis adiunxit. ex quo mire eorum in Gallia, atq; Hispania opes adauctæ. Ita tum Italia ingenti calamitate leuata, quæ si ad ceteras accessisset, mirificis ipsam sine dubio ad sese erigendum vulneribus afflixisset. Theodemirus autem bellum Sarmatis Limigantibus intulit, neque vllum præ metu obuium habuit. hac prosperitate inde elatus, urbem Illyrici primariam Naissum adortus in ditionem adduxit, atque ibi cum Theodorico filio moratus, militum partem ad Vlpianam per Castrum Herculis misit. qui eam cum aliis locis imperuiis occuparunt. ac tum demum in Thessaliam progressi, Heracleam, Larissamq; ceperunt. Qua re cognita, Theodemirus Naisso egressus, Thesalonice petiit, quam Clarianus Patricius cum exercitu obtinebat. ille vero cum urbem defendere statuisset, postquam eam circumuallari, nec se cœpta hostium morari posse cognouit, legatos ad regem cum muneribus misit, atque ita illum ab oppugnatione auertit. inde nouo inito fœdere, noua Gotthis loca ad incolendum in Illyrico Orientali concessa. Ex quo apparet, quo veteres nerui, animique Romanorum euasissent Imperatorum, cum salutem vtriusque Imperij precibus, ac pecunia redemptam non armis, ac fortitudine defensam haberent. Constantino poli Leo Augustus Leonem nepotem suum ex Zenone & Ariadna filia genitum Cæsarem esse iussit. Tunc etiam vestis Deiparæ virginis Hierosolymis Constantinopolim est allata, & magna religione recepta. quæ apud virginem Hebræam erat inuenta. Proximo anno Leo Augustus consul sextum sine collega vita excessit, 474 ac, genero suo Zenone præterito, nepotem suum Leonem puerum, à se paulo antè Cæsarem constitutum, testamento Imperatorem reliquit, qui mox patrem Zenonem sibi consortem assumpsit, & cum eo hunc annum Imperauit. Iulius autem Nepos, cui traditum fuisse à Leone sene Imperium diximus, cum illud à Glycerio occupatum teneri audisset, vehementissime perturbatus est. atque ipsum per vim inde detrudere cum statuisset, opè Imperatoris ingentes omnis generis copias in naues imposuit, atque, intento Italiam versus itinere, classem tandem ad littora Romana applicuit. Quod vbi Glycerius tum Romæ agens cognouit, opibus suis nimium attenuatis diffusus vrbe excessit, atque in oppidum suburbanum, nomine Portum, secessit, ibique communitus impetum Nepotis sibi excipiendum decreuit. Nepos autem, expositis, atque ad urbem adductis militibus, cum primo aduentu eam ad deditionem adduxisset, acri inde Portum obsidione circumdedit, quem cum cepisset, simul etiam Glycerium Imperij deponere insignia compulit. eaq; mox ipse v i i Kal. Iulias induit. atq; rebus Romæ compositis, inde Rauennam in regiam se recepit, Glycerio, ne priuatus ludibrio haberetur, ecclesia Salonensi in Dalmatia attributa.

I V L I V S N E P O S A V G V S T V S.

40 **D**V M hæc agerentur, Euricus rex Gotthorum in Gallia aduersis Italiae rebus, ac nouis Ostrogotthorum auxiliis excitatus, fines Romanorum habere infestos variis populationibus cœpit. Quare cognita, Nepos nihil sibi prius duxit faciendum, quam vt cœptis eius occurreret. cumq; Euricum lites quasdam de finibus in speciem serentem audisset, habito principum Liguriæ Concilio, ex omnium sententia Epiphanium Ticinensem episcopum legatum ad eum misit, qui lites componeret, pacemq; firmaret. quod ille summa cum cura expleuit. Profecto inde ex Gallia Epiphanio, Euricus nihil eorum, quæ promiserat præstitit, immo sub nomine pacis agere hostilia cœpit. nam in fines Romanos inuectus cum agros ciuitatum vastauit, tum maxime ecclesias, atq; earum episcopos, vetere Arriana labe corruptus, afflixit. ac Ruthenos, Cadurcos, Lemouicos, Gabalitanos ex Aquitania prima cepit, ac deniq; urbem ipsam Aruernorum militari corona circumstetit. neq; ex omnibus Gothicis in Gallia bellis vllum hoc fuit asperius. Erat tum in vrbe Aruernorum Ecdicius Comes, Auiti quondam Imperatoris filius, itemq; episcopus ipse vrbis Sidonius, quorum alter strenuis ex vrbe eruptionibus faciendis, alter supplicationibus ad Deum instituendis & litteris ad amicos mittendis, tantam ab vrbe propellere tempestatem annixi sunt. Ac Sidonius quidem de ipsa hostium in agrum Romanum impressione ad

Mamertum episcopum Viennensem sic scripsit: *Rumor est, Gothos in Romanum solum mouisse. Huic semper irruptioni nos miseri Aruerni ianua sumus. namq. odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia nec dum terminos suos ab Oceano in Rhodanum Ligeris alueo limitauerunt, solam sub ope Christi moram de nostro tantum obice patiuntur. circunietarum vero spacia, tractumq. regionum iam pridem regni minacis importuna deuorauit impressio, sed animositati nostra tam temeraria, tamq. periculosa non nos aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulata. solo tantum inuetarum, te auctore, Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendisq. populus Aruernus, & si non effectum pari, affectu certe non impari cepit initiari. & ob hoc circumsus nec dum dat terga terroribus. deinde ad Basilium episcopum in hæc verba: Euarix rex Gothorum, quod limitem regni sui, rupto, dissolutoque, federe antiquo, vel tutatur armorum iure, vel promouet, nec nobis peccatoribus accusare, nec vobis sanctis hic discutere permissum est. Sed, quod fatendum est, præsatum regem Gothorum, quanquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quam legibus Christianis insidiaturum pauesco. tantum, ut ferunt, ori, tantum pectori suo Catholici intuitio nominis acet, ut ambigas, ampliusne sua gentis, an sua secta teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatum, consiliorumq. successum tribui pro religione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena. Propter quod discite cito Catholici status valetudinem occultam, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrogorij, Rutheniq., Lemonices, Gabalitani, Helusani, Vafates, Conuena, Auscenses, multoq. iam maior numerus ciuitatum, summis sacerdotibus ipsorum more truncatis, nec ullis deinceps episcopis in defunctorum officia susceptis, per quos utiq. minorum ordinum officia subrogabantur, latum spiritualis ruina limitem traxit, quem fere constat sic per singulos dies morientium patrum proficere defectu, ut non solum quoslibet hereticos presentium, verum & heresiarchas priorum temporum potuerit insicere. ita populos excessu pontificum orbatos tristis intercisæ fidei desperatio premit. Nulla in desolatis cura diæcesibus, videas in ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valuarum cardinibus auulsis basilicarum aditus hispidorum ueprum fructibus obstructos. ipsa, pro dolor, videas armenta non modo semipatentibus iacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. sed iam nec per rusticas solum solitudo parochias, ipsa insuper urbanarum ecclesiarum conuenticulararescunt. Postquam autem vrbs Aruernorum obsessa magnis premi difficultatibus cœpit, Sidonius sic rebus suis perditis opem à Græco episcopo postulauit: *Nostri hic nunc est infelicis anguli status. cuius, ut fama confirmat, melior fuit sub bello, quam sub pace conditio. facta est seruitus nostra precium securitatis alienæ. Aruernorum, pro dolor, seruitus. qui, si præcæ replicarentur, audebant se quondam fratres Latii dicere, si recentia memorabuntur, hi sunt, qui viribus propriis hostium publicorum arma remorati sunt. cui sæpe populo Gothus non fuit clauso formidini, cum vicissim ipse fieret oppugnatoribus positus intra castra terrori. hi sunt, qui sibi aduersus vicinorum aciem tam duces fuerunt, quam milites. de quorum tamen sorte certaminum si quid prosperum cœsit, vos secunda solata sunt, si quid contrarium, illos aduersa fregerunt. Illi amore resp. Seronatum barbaris prouincias propinantem non timere legibus tradere, quem conuictum deinceps resp. vix præsumpsit occidere. Hoccine meruerunt inopia, flamma, ferrum, pestilentia, pingues cadibus gladij, & macri ieiunius præliatores. propter huius tamen inçlytæ pacis expectationem auulsas muralibus rimis herbas in cibum traximus, crebro per ignorantiam venenatis graminibus infecti, quæ indiscretis folijs, succisq. viridantia sæpe manus fame concolor legit. Pro his tot, tantisq. deuotionis experimentis nostri, quantum audio, facta iactura est. Pudeat vos, precamur, huius sæderis nec utilis, nec decori. Per vos legationes meant. vobis primum, quanquam principe absente, non solum tractata referantur, verum etiam tractanda committuntur. Veniabilis sit quæsumus ad aures vestras veritatis asperitas. cuius conuicij inuidiam dolor eripit. parum in commune consulitis, & cum in consilio conuenitis, non tam cura est, publicis mederi periculis, quam priuatis studere fortunis. Adhuc si necesse est obsideri, adhuc pugnare, adhuc esurire delectat. si vero tradimur, qui non potuimus viribus obtineri, inuenisse vos certum est, quid barbarorum suaderetis ignaui. Sed cur dolori nimio frenæ laxantur? quare potius ignoscite afflictis, nec imputate mœrentibus. Namq. alia regio tradita seruitium sperat, Aruernæ supplicium. Sane si medicari nostris vltimis non valetis, saltem hoc efficit prece sedula, ut sanguis uiuat, quorum est**

est moritara libertas. parate exulibus terram, capiendis redemptionem, viaticum peregrinaturis. Si murus noster aperitur hostibus, non sit vester clausus hospitibus. Dum autem Sidonius precibus Deum, atque homines fatigabat, Ecdicius Comes, qui urbem tuebatur, multa egregia fortitudinis suæ documenta dedit. quippe quodam die cum duodeviginti equitibus vrbe meridie egressus, tota ex mœnibus semirutis aspectante ciuitate, medio campo aliquot Gotthorum millia, præteruectus hostes sui numeri incertos, atq; ad sui conspectum, nominisq; rumorem perterritos, noctu in proximum collem se subducere compulit, ac nouissimi agminis aliquot occisis, incolumis cum omnibus suis in urbem reuertit, læto plausu totius ciuitatis exceptus, cumq; iam Zeno Augustus consul iterum sine collega inisset, priuatis opibus 475 publici speciem contraxit exercitus, ac liberos hostium discursus populationibus castigatis coercuit. inde aliquot superuenientibus turmales cuneos strauit, vix binis, ternisve ex numero suorum desideratis. Gotthi vero, vt cæforum numerum præ pudore occulerent, quos nox sepulturæ subtraxerat, abscissis capitis reliquere, tanquam minoris indicij foret, dimisse truncatum, quàm villis agnosci crinitum. Postquam autem, illucescente die, cognouerunt furtum ruinæ suæ crudeli vilitate patuisse, tum demum iusta mortuis magna festinatione soluerunt, ac debitas exequias tribuerunt. cum autem corpora vndique plaustris conuecta iacerent, Ecdicio repente rursus exterritis incumbente, raptim succensis domibus incluserunt ac regalibus culminum superlabentium fragmentis operuerunt. Has res paucis Iordanes in historia attigit, Sidonius vero in epistola ad ipsum Ecdicium scripta, multis explicuit. Ad extremum Ecdicius, vrbe hostium multitudine circumfusâ, ac magna ex parte mœnibus nudata, cum tuendæ facultatem non haberet, vltro tradidit, atq; ad locatutiora se contulit. quod audiens Nepos Augustus, ipsum ad se vocauit, ac Patricium designauit. (Vnde ad Papiamillam Ecdicij sororem Sidonius scripsit: *Hoc sancte Iulius Nepos armis pariter summus Augustus & moribus quod decessoris sui Anthemij fidem fratris tui Ecdicij sudoribus obligatam, quo citerior, hoc laudabilior, absoluit. siquidem iste compleuit, quod ille sepiissime pollicebatur.* atq; in Galliam Orestem magistrum militum, & Patricium misit. Erat autem Orestes genere Gotthus, ac Gotthicorum auxiliorum in Italia Comes, magnam ob multas res bene gestas in re militari auctoritatem adeptus. quare nouis dignitatum insignibus auctus subito à Nepote aduersus Euricum, ne tota ab eo Gallia pelleretur, est destinatus. Ille vero contra Nepotis imbecillitatem, ac potestatem suam extraordinariam conspicatus, eodem, quo ceteri barbari, perfidiæ morbo cœpit agitari, eademq; Imperij occupandi libidine conflictari. itaque Gotthos, qui præsidio Italiæ erant, tertia agrorum parte promissa illectos ad omnia secum audenda incendit, & cum iis Roma profectus se in Galliam aduersus Gotthos contendere simulauit. postquam autem Raennam peruenit, urbem officij caussa ingressus, Nepotem ipsum imparatum, atq; ac insidiis eius incautum v Kalen. Septembris eiecit. ac paucis post diebus, nempe 40 pridie Kal. Nouembris, filium suum Romulum Momyllum, adhuc puerum, Imperatorem, exercitu suffragante, leuauit. Nepos autem non minus consilij, quàm auxilij inops, spe Imperij retinendi, aut recuperandi prorsus abiecta, Salonam in Dalmatiam se recepit, vbi Glycerius nuper Imperator episcopatum administrabat. Ita Augusta Imperij dignitas, dum ruit ad interitum, antequam efferretur, per dolum, atq; insidias ad barbari ditionem, potestatemq; peruenit, credo, vt ex summissiore loco præcipitata minore cum doloris, atq; acerbatis sensu periret.

MOMYLLVS AVGVSTVS IMP.

50 **T**VRBATO autem in hunc modum Occidente, atq; ad præsens exitium prope fatali quadam necessitate ruente, haud dissimiles in Oriente quoq; tumultus exorti sunt. Basiliscus enim, mortuo Leone puero Augusto, Zenonem despicens, collecta valida satellitū manu, seditionē aduersus eum in vrbe Constantino poli cōcitauit. cuius rei subita formidine Zeno percussus, ad Isauros se cōtulit, atq; ibi arcem tuendæ salutis gratia occupauit. Basiliscus autem vrbe potitus, cum se Augustum declarandum curasset, Marcum filium Cæsarem appellauit. Hoc ad

Imperij culmen euecto, iterum Eutychianæ hæreseos caussa Ecclesia perturbata est. vt enim Basiliscus à Chalcedonensi Concilio erat auersus, sic omnes eius fautores est persequutus. quamobrem Timotheum Solofaciolum, qui iam pridem ecclesiam Alexandrinam in Catholica disciplina, & Chalcedonensis auctoritate Concilij continuerat, ecclesia pepulit, atq; ei Timotheum Aelurum dudum propter perfidiam Eutychianam expulsum suffecit. quin etiam litteras ad episcopos Asiæ misit, iubens, vt Leonis pontificis insignem de duabus Christi naturis Decisionem, & Chalcedonensia decreta damnarent. quibus litteris plerique Asiæ episcopi subscripsere. Ac acio inde episcopo Constantinopolitano hoc factum actiter increpante, ac monachorum ordinem aduersus Basiliscum sollicitante, magnopere Basiliscus extimuit, ac litteras alteras prioribus prorsus contrarias scripsit. Basilisco autem Augusto iterum, & Armato consulibus, incendio in vrbe coorto, quo maior ipsius pars deflagrauit, senatus, inuidia eius in Basiliscum coniecta, occultis nunciis Zenonem ex Ilauria reuocauit. qui prope cum validissimo exercitu reuersus, atque vrbem ingressus, Basiliscum, qui in ecclesiam salutis caussa confugerat, interceptit, atque Imperij insignibus detractis, in Cappadociam relegauit, atq; ibi trucidandum curauit. cuius nece audita, continuo episcopi Asiæ sibi timere cœperunt, ac culpam deprecati ad fidem Chalcedonensem redierunt. Timotheo Aeluro haud ita multo post mortuo, Petrus Mongus clam in sedem subrepit. cuius perfidia agnita, Zeno ipsum post loco mouit, atque iterum Timotheum Solofaciolum subrogauit. Atque hæc quidem in Oriente. At vero in Gallia Euricus rex, bello cum Romanis continuato, duas primarias vrbes Arelate, & Massiliam occupauit. atque, omni vsque ad Rhodanum Gallia in ditionem adducta, sedem Arelate locauit. In Italia vero Orestes, Imperatore filio constituto, vt se facilius aduersus Gotthos, Burgundiones, & Francos Galliam incolentes tueretur, fœdus cum Genserico rege Africæ renouauit, atque Italiam in summa pace administrare pro arbitrio cœpit. Hoc vero eius, vt immeritum, ocium subito perturbauit, non eorum aliquis, quos ipse iure suspectos habere tanquam vicinos Italiæ, potuit, sed quidam alius longe terrarum, quippe trans Danubium, positus. Hic vero fuit Odoacer Herulorum, & Turcilingorum regno potitus. is fama rerum, quæ seditiose gererentur in Italia, percitus, vehementius ad illius cupiditatem exarsit. animum vero accendit, ac prope certa victoriæ fiducia incitauit primum ipse Imperator Momyllus. cuius in magna populorum dissensione opes infirmissimas esse comperiebat, deinde Zeno, qui eodem tempore à Basilisco expulsus, omnes cogitationes, opesque suas merito ad recuperandum Orientem contulerat. accessit, quod ne ipse quidem Italiam prorsus, vt qui Orestis armiger fuerat, ignorabat. His igitur de causis haud operosam fore victoriam, si de improviso cum paratissimo se intulisset exercitu, arbitratus Herulos, Turcilingos, Scyros, ac Rugos interioris Germaniæ populos, qui nuper inter valida Attilæ sæuientis auxilia fuerant, excitauit, ac magnorum spe præmiorum sollicitatos haud ægre, vt sese in eam sequerentur, induxit, ac diem ad profectiorem præstituit. Quæ vbi vere nouo aduenit, cum his omnibus ex finibus egressus, Danubium traiecit, atque in Noricum penetrauit. Erat tum in iis locis Seuerinus, qui Noricorum appellatur apostolus, iam inde ab Attilæ temporibus ex Oriente profectus. qui magnam opinionem apud omnes sanctæ habebat integritatis. ad hunc igitur Odoacer sacram benedictionem petiturus accessit. ceterum, cum, ea accepta, è cella sancti viri pedem efferret, & caput inclinasset, ne superliminari ostij, (nam proceræ admodum staturæ erat,) allideret, hæc à diuino vate verba accepit. Pergè Odoacer in Italiam vilissimis nunc pellibus relictus, verum multis propediem preciosa multa dilargiturus. Profectus inde, alacri animo ex Norico in Italiã per Alpes Tridentinas, ac fines Veronenses intrauit. quod postquam Orestes non dubiis nunciis comperit, extemplo, quàm maximas potuit, ex Italia copias equitum, peditumq; conscripsit, easq; conuenire ad Laudem in Liguria iussit. Ceterum Odoacer, hoste, qui transitum moraretur, in Venetia nullo reperto, protinus, traiecto Abdua, in Liguriam transit, atque ad Laudem, vbi confedissem Orestem audiebat, castra conuertit, atque eo sine cunctatione progressus, summo

summo ipsum certamine prouocauit. Orestes autem, cum se & multitudine armatorum inferiorem esse, atque in dies magis à Gothis deserui animaduerteret, quòd tertiam eis agrorum partem promissam non tradidisset, motis inde castris, Ticinum recessit, ibique se pro tempore, quoad potuit, confirmauit, tantam belli procellam murorum potius, quàm militum præsidio, subiturus. Quod postquam Odoacer persensit, ipsum propere insequutus, exercitum Ticinum adduxit, urbemque magnis viribus oppugnare instituit. neque ita multis post diebus, toto incumbente exercitu, ipsam cum Oreste in potestatem redegit. captamque militibus diripiendam concessit. Ex quo ut noua, sic miserabilis clarissimæ urbis est vastatio subsequuta. ut enim quisque diuitiis excellere existimatus est, sic ad prædam maxime requisitus. inde, ut eosdem ad prodendas, si quas oculuissent, pecunias cogere, alij tectis faces subiecerunt, alij ad necem dominos euocarunt, alij ad episcopium nefaria sacri diripiendi thesauri inflammati libidine concurrerunt. atque opes Ecclesiæ è terra quoque, ubi absconditæ fuerant, eruerunt, Epiphanium episcopum, quo plura daret, plura habere putantes. demum tanta clades illata, ut per multos ante annos oppidum nullum aut fœdius captum, aut miserabilius expugnatum sit. quippe, ciuibus passim aut seruitute, aut morte multatis, vrbs direpta vno cum duobus templis prope arsit incendio. Epiphanius vero cum in ceteris caritatis officiis se sanctissime gessit, tum in primis germanam suam, ceterasque mulieres, quæ libidini hostili præcipue obnoxia videbantur, seruitute exemit. His x Kalend. Septembris gestis, Odoacer rex Italiæ à suis est acclamatus. quo fauore superbus inde Placentiam prodiit, atque ibi v Kalend. Orestem captiuum; exercitu ipso inspectante, ac gratulante, occidit. tum in Momyllum Augustum intentus, motis castris, Rauennam contendere maturauit. cum autem illum metu exanimatum Romam recepisse se reperisset, pridie Nonas, vrbe in potestatem adducta, Paulum Orestis fratrem, qui relictus in præsidio fuerat, interfecit. dimisso inde per Italiam exercitu, omnes vrbes, quæ Momylli studio deditæ suum auerfabantur imperium, aut vi, aut metu, aut beneuolentia suæ ditioni adiunxit. ex quibus, quoniam, ut inquit Diaconus, multæ, extinctis habitatoribus, ad solum vsque euerse sunt, fit, ut ad suspicandum adducatur, præcipue ipsam hac ruina Mutinam concidisse, quæque vrsanum Attilæ furorem euaserat, eam Odoacris, cum pro Momyllo stare, molliorem effugere impetum nequiuisse. Huius certe, ut etiam finitimi Regij, nulla in sequentibus Gotthorum bellis memoria celebratur. Ceteriore Italia ad auctoritatem, obsequiumque suum adducta, Romam inde accessit, atque urbem corona circundedit, ipsam, ni se dederet, expugnaturum denunciâs. populus autem dira vrbiū aliarum calamitate edoctus, deditione repente facta, obuiam extra urbem effusus ipsum magna hilaritate excepit. quod ubi vidit Momyllus, metu, ut in extremo vitæ periculo, consternatus, ut saluti suæ consulere, purpuram statim deposuit, ac sese tandem in fausto à patre sibi parato Imperio abdicauit. ac vita ab Odoacre hoc modo impetrata, iussu eius in Lucullanum Campaniæ castrum, tanquam in exilium, abiit. Atque his quidem variis, atque incipientibus rerum, temporumque successibus Roma iam quartum post Christi annum quadringentesimum capta, Italiaque à barbaris firmo tandem possideri imperio cœpta est. Imperium autem Romanum, quod in Augusto initium sumpsit, in Augustulo, (sic enim Momyllus est appellatus.) finem accepit. neque enim posthac hic titulus in Occidente, dum rerum potiti barbari sunt, est auditus.